torii Constantiensis monumentis, supra *Parte X: XI. XII.* exhibitis. Quæ causa est, quare in singulis propemodum capitibus Germani hic ad *Reformatoria* illa superiora provocent, eaq; repetita velint, quæ ibi tradita atque in Nationibus conclusa.

Brevis autem hæc delineatio Reformationis, aut Nationalium in Reformatoriis dudum factorum decretorum Compendium, accommodatum à Germanis ad summam seriemque *articulorum* illorum XVIII. qui octiduo ante Papæ electionem erant in Concilio publice expressi, de quibus à Papa novo proxime in Reformatione esset agendum.

Neque diffitendum, hos Articulos solummodo pertinere ad Regiminis Ecclesiastici supremi Curiæve Romanæ emendationem. Siquidem ante Electionem Papæ primò quidem in Constantiensi Concilio *reformatio capitis & membrorum* quæsita, sive Curiæ Romanæ & totius Ecclesiæ. Verùm, quod tantum & tam amplum negotium simul confici non posse videretur, consultum fore visum, si primùm de Capite emendando Curiaq; Romana pro illo temporis statu reformanda ageretur, inq; hoc Concilio absolveretur. Membrorum autem vel inferioris status Ecclesiastici emendatio reservaretur ad proximam Concilii operam. Ita ergo ad finem usque Concilii Constantiensis non fere nisi de supremi illius Ecclesiastici regiminis reformatione actum, reliqua curâ dilatâ.

INDEX

Capitum vel Articulorum XVIII.

I. *De numero, qualitate & Natione Dominorum Cardinalium.*
II. *De Reservationibus (facili oculorum lapsu, de* Reformationibus *legit Schelstratenus in Actis Concilii p.* 186. *&* 270.*) sedis Apostolicæ.*
III. *De Annatis & communibus servitiis & minutis.*
IV. *De Collationibus beneficiorum & gratiis expectativis.*
V. *De confirmationibus electionum.*
VI. *De causis in Romana curia tractandis vel non.*
VII. *De Appellationibus ad Romanam curiam.*
VIII. *De officiis Cancellariæ ac Pœnitentiariæ.*
IX. *De Exemptionibus, incorporationibus, tempore schismatis factis.*
X. *De Commendis.*
XI. *De Fructibus medii temporis.*
XII. *De non alienandis bonis Ro. Ecclesiæ.*
XIII. *Propter quæ & quomodo Papa possit corrigi vel deponi.*
XIV. *De extirpatione Simoniæ.*
XV. *De dispensationibus.*
XVI. *De Provisione Papæ & Cardinalium.*
XVII. *De Indulgentiis.*
XVIII. *De Decimis.*

GERMA-